

058

056

062

pati volebat, sed se solum coli. Sexto, quia senatus Tiberium odio habuit, ideo acquiescere nolebat, ut Christum colere permetteret in Roma. **Sicque in hac pertinacia stetit Roma usque ad tempora Constantini**, qui prima die sui baptismatis legem sanxit, ut Christus pro vero Deo in tota urbe coleretur.

Supra pyramides et Isidis idolum non longe est lacus quidam modicus, qui miraculo magis, quam aquarum copia est memorabilis. Hujus aquae semel in anno per mensem efficiuntur sanguineae, quod Sarraceni accidere credunt in memoriam primae plагae, qua Aegypti aquae et flumina in sanguinem fuerunt conversae, ut habetur Exodi VIII. Similis quidam lacus in Syria esse dicitur, Job nomine, magis tamen mirabilis; nam, ut ajunt, colorem mutat quater in anno, pulverulentum, sanguineum, viridem, atque limpidum, ternis mensibus unum quemque conservans.

A longe contra desertum vidimus unam moscheam solitariam, juxta quam est coemeterium, in quo est singularis sepultura eorum, quos Sarraceni Sanctos fuisse opinantur. Habent enim Santos suos, sicut et nos, qui miracula et in vita et post mortem fecerunt multa et magna. Ut patet in libello captivi fratris inter Turcos, quem fecit de Turcis et Sarracenis, inter quos 22 annos captivatus fuit.

Porro sepeliendo mortuos non projiciunt terram supra mortuos, sed in cavatum lapidem vel in fossatum terrae ponunt, et lapidem superponunt. Divites autem contra putrefactionem inungunt balsamo et aliis aromatibus, et quando amicis placet, operculum deponunt, suos defunctos respiciunt, licet non omnia sepulchra sint sic disposita, sed divitum, potentum et sacerdotum ac eorum Sanctorum.

De hoc ergo coemeterio (**91a**) dixerunt nobis ductores nostri Mamaluci, quod certis diebus anni conveniente populo ad locum mortuorum illorum corpora in sepulchris eriguntur, sine alicuius hominis adjutorio, et erecta stant per totum diem, et finito festo decidunt sine visibili agente in loculos suos. Obnixe rogavimus Mamalucos, ut ducerent nos ad locum; sed non audebant, quia sacerdotes ejusdem moscheae singularem custodiam adhibent, ne aliquis Christianus etiam de prope accedat, timentes per nos suos inquietari defunctos. Hoc miraculum notum et manifestum est per omnes regiones sectae Machometi, ex quo etiam quam plurimi

052

067

047

107

007

157

557

Ende

Anfang

